



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

SS. Chrysanthvs & Daria MM. 25. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

velut obstetrix salutaris adfuit. Racemum cum è vite aliò tulisset, & agrè aliì hoc ferrent, viti suæ quàm mox ita restituit, ut ne cicatricem è vulnere saperstitem cerneret. Illud omnino & scriptu & lectu jucundum, VIRGINIS seruo, ANGELO inquam nostro, feliciores illos Angelos inferville. Nam fuit, cum è morbo decumbenti incidere venam medicus constituit. Hic, absentibus omnibus aliis, adfuere è caelo ephèbi gemini, caelo ipso suo formosiores, qui lumen aliave ministrarunt, & sanguinem agrì obsequiosi exceperunt. Tanti sane erat omnem omnino sanguinem prodigere. Certe tam duriter vixit IOANNES, ut præter cutem & ossa vix quidquam hominis jam haberet eò restitit ANGELVS dicendus, quò minus jam carnis illi erat. Hanc denique omnem posuit anno præter salutis MD. VI. Laudes ejus funebres (quòd puto impatihs lingua effecit) campanæ sponte impulsæ cecinerunt. Ex Ferrar.

De dilectione Conditoris lingua, mens & vita requiratur. Numquam est Dei amor otiosus: operatur etenim magna; si verò operari renuit, amor non est. S. Greg. Hom. 30.

SS. CHRYSANTHVS & DARIA MM.
25. Octobris.

CHRYSANTHVS patre natus Polemio senatorii ordinis viro, dum fortuito in manus sumit, quem Evangelii librum dicimus legitur, manus dare Christo discit, brevi lectione longè plurimum edoctus. At Polemius, ut filium à Christianâ disciplinâ dimoveret, nihil non movere, carcerique demùm mancipare. Sed hic gymnasi instar virtutis erat. Ergo ad insidias amicum

tum consilio versus cubiculum adornat, & omnibus deliciis instruit; addit mulierculas omni mundo muliebri prater verecundiam superbas. Inter has collocatus CHRYSANTHVS tunc demum in carcere esse se credidit & ingemuit. Quid faceret? clypeum nempe (oculum clausum) objecit. Sed & caelum somno lenarum oculos obruit tam profundo, ut castitati facile esset dormientium manus evadere. At ecce novum duellum: DARIAE virgini & formam & literis cultissimam committitur. Pergit tamen ille victoriis victorias accumulare, & sponsum expectanti promittit hunc, sed Christum. In has leges & pax & nuptiae promittuntur: quae ut festivo apparatu fierent, plurimos ille virgines ad castitatis amorem traxit. Enimvero hic demum furere Venus, & vinci toties tela sua indignata, tyrannum amare, jamque CHRYSANTHVM in carceres, DARIAM in lustrum trahere. Sed illum contra tormenta lux caelo allapsa, istam contra leones leo defendit. Ultimo vivi terram obruti castissimi conjuges, primum thalamum, tumulum habuerunt. At olim degener Roma non castitatem, sed impudicitiam sic accumulabas. Ex Metaphr.

Fluxa & seductoria immundi hujus mundi blandimenta despice: minas ejus animi fortitudine supera: surgentia carnis incendia reprinse: mentem virtutibus dilata: torporis frigus de corda depelle, & ad superna beatitudinis gaudium flammato desiderio suspira. S. Pet. Dam. serm. 5.

S. DEMETRIVS MART. 26. Octobris.

Natale solum DEMETRIO dedit Thessalonica, parentes nobilitatem, literarum studia laudem.